

BIBLIOTHECA R. SCIENT.
UNIV. BUDAPESTINENSIS.

R. M. K. II

Sz. *616*

Ritter: Hungaria pub-
licata.

1711



Szabó II. 2435a

2. péld.)

1.) II. 2435a, leírás!
Hidgyik: B₂₋₄ lev.

2.) II. 2435.
Hidgyik: a 2.-3. lev.
(a kötetben).

Csundera!

BIBLI
UNI

AUSTRIA
PULLATA,
IOSEPHO I. IMPERATORI ARCHIDVCI
PARENTANS.



10/452 - 1955. 12.

ORSZAGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
Atengedett 1818 példány

EXCELLENTISSIMO,

DOMINO, DOMINO

OTTONI HONORIO

Sac. Rom. Imp. Com. ab Abensperg & Traun,
in Wolckenburg & Egloffs, Dom. Comita-
tuum Abensperg & Altmanstein, nec non Dominiorum
Traun, Petronellæ, Pokflüßs, Schvveinbarth, Rapol-
tenstein, Meißav, & Pisamberg, Aurei Velleris Equiti,
hæreditario Superioris & inferioris Austriae Vexillifero,
Sac. Olim Cæs. ac Regiæque Majest. Camerario, Con-
siliario Intimo, Supremo Austriae infra Ana-
sum Mareschallo, Colonello Ge-
nerali, &c.

NEC NON

Reverendissimis, Illustrissimis ac Perillustribus
Dominis, Dominis

Ejusdē Inclyti Archiducatus Inferioris Austriae
Excelsorum Statuum & Ordinum

PRÆSIDI

ac

DEPUTATIS;

Dominis Patronis gratiosissimis, colendissimis;

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADEÉMIA
KÖNYVTÁRA

EQ. PAURITTER,

S. P. D.

EXCELLENTISSIME,

NEC NON

REVERENDISS. ILLUSTRISS. PERILLUST.

DOMINI, DOMINI.



D nuperrimum D. JOSEPHI Rom.
Imp. S. A. Germ. Ung. Boh. &c. Regis,
Archiducis & Domini Nostri Clemen-
tissimi obitum Europam universam, aut
indoluisse, aut certè motam esse, non sum nescius;
utì ad tam Fortis Fortunatiq̃ue Principis excessum eve-
nisse, congruum est; quo minùs hanc, ex amisso tanto
Monarcha, plagam animis quoque Vestris altiùs im-
pressam esse, Mundus dubitet. Parentastis Defuncti
Manibus in pluribus Ecclesiis (ut Illius erga VOS Be-
nignitatem & Vestram erga Illum Religionem decebat)
magnifico sumptuosoque apparatu, interna necdum
Animorum Vestrorù sensa exprimente, ad quod nulla
fabrilium machinarum strues sufficebat: Neniis Anti-
qui & Epiciniis ejusmodi funera prosequerantur:
more haud indecoro: quo Defunctorum egregiæ
virtutes, præclara facinora, eximius in Remp. amor,

A 2

in

in subditos clementia : ac illorum apud omnes desiderium, pro captu & condolentia audientium, & futurorum memoria, decantabantur. Cùm verò ego non pridem ab hinc *Ungariæ Pullatæ* quæstum humiliter Nænia descripsissem : non indignum existimabam, *Austriæ* quoque *Pullatæ* lacrymas, divi gloriosissimi Cæsaris Manibus parentaturas, si non effundere, imitari saltèm. Simplici nudoque igitur (ut omnia facere soleo) tum sermone, cùm veritate concinnavi lugubre poëma, & sepulchrales titulos, nihil poëtici (excepto solo metro) adhibens; ut, si quid Manes Defunctorum sentiant, ipsi quoque JOSEPHO Imperatori acceptissimum fore, credibile sit; quod nihil adulationis, nihilque violentiæ innocenti ejus vitæ addiderim. Ut tamen lugubre hocce Carmen Orbi publicum facerem, *Excellentiæ & DD. VV.* prætitularum Aris & auspiciis nuncupandum erat; ita in Mundi conspectu, & apud seram posteritatem, sibi fidem, *Vobis* merita Gloriæ paraturum. Sucipite igitur P. C. Austriæ Megistanes, hanc *Austriam Pullatam* placida fronte, quam devoto animo *Vobis* offero, consecro : futurisque temporibus perpetuum Nominum Vestrorum Cultorem Benevolentia Vestra radiis beate. Valet.

AU.

AUSTRIA PULLATA,

IOSEPHO I. IMPERATORI ARCHIDUCI

PARENTANS.

AD quos me tandem servatis Fata dolores?
Quos mihi jam struitis casus? Necdumne sat iræ
Cœlestis tulimus? superestne quid ultrò ferendū,
Post pestis, sævæque famis belli que flagella,
Post alios casus? quos commemorare, recentis
Non patitur moles, & acerbi plaga doloris!

Vix nuper lacrymas oculis absterferat udis;
Atrumque, interni testem mœroris, amictum
Exuerat, plorans Leopoldi funera Magni,
Tot fœcunda Ducum Regumque tot inclyta Mater,
Austria: nacta Patri Natum Pietate, & Avorum
Præcipuo cujunque parem Virtute, secundum
Fortuna nulli: seu Belli præmia palmas,
Seu Pacis lauros, spectes; cùm protinus Ipso
Infestâ adversi spoliata tyrannide Fati,
Obruor immani (ceu fulmine tacta) dolore,
Mole novi luctûs oppressa: ignaraque demum,
Cujus ope aut dextra relever? jam profus egena
Principe! Decessit, properè sua Fata secutus,
Nullo post sese Regnis Hærede relicto,
Nec Genero ex Natis formâ præstante duabus;
Ut videam, metuenda magis discriminarerum,
Quàm cùm Threicius contracto Oriente Tyrannus

A 3

Uffe.

Ufferat Austriacum rus, Urbem evertere nifus,
Exitium toti Imperio, Europæque, minatus.

JOSEPHI Augusti casum supremaque Fata
Austria mœsta gemo. Leopoldo is Cæsare natus,
Viceno & sexto Quintilis lumine Mensis,
Supra millenum sexcentum, septuagenum,
Octavo à Christi sacris natalibus, anno,
Ad Patris Augusti, Regnorum ad vota fuorum
Editus in lucem: sub adulta Æstate decorus
Flosculus; ipse suo pariturus tempore fructus
Egregios. veluti mirum spirabat odorem
A primo exortu: quin Ver produxerat uber
Æstivos fructus. Crevit virtutibus altis,
Optimo & merito, summo quoque Principe, dignis:
Sub cuius miti imperio, faustisque profectò
Auspiciis, amplos fidis sperare licebat
Progressus Populis, augmentaque prospera Regnis.
Ut bona, virtutesque animi vel corporis omnes
Processu ætatis veniunt; crescentibus annis
Firmantur vires: ex æqui cognitione
Justitia exoritur: reliquis Sapiencia princeps,
Perspectis hominum diversis moribus, atque
Rerum exploratis eventibus, una docetur;
Solæ autem cum ipsis capiunt Nascentibus ortum
Prosperitas, Pietas. hæc naturalia quippè
Sunt animi bona, sunt Fatorum præmia vera.
His igitur JOSEPH, Mundo mirante, beatus
Ingentes mihi spes fovit. Sed turbo inopinus

Con-

Consilium nostrum, spes nostras, vota que nostra
Evertit! Fatale mihi Ver reddidit Annus
Hic! Cum læta suos pandebat Chloris honores,
Hortorum campique decus reparabat, adustum
Frigore brumali, mortali frigore, Florem
Decussit. Cecidit! cecidit Flos non relevandus!
Occidit Austriaci Sydus prænobile Cœli,
Visurum nunquam primos, heu occidit! ortus:
Nil nisi mærorem post se, luctumque, relinquens;
Heu mihi præ reliquis! Amisso Principe tanto,
Totòque amisso, quis me solabitur? aut quis
Austriacas servabit opes, tuiturus honores
Majestate sua? Mærorem exasperat istum
Jam Natis Augusta Domus Regalibus orba!
Cæroli in Hispanis longinqua absentia terris!

Nondum bis quintum natus compleverat annum,
Pannonia mitratum Regem jam Terra salutat.
Hinc, gemino expleto vix anno, Romeus Orbis
Imponit Regi sacrum diadema tenello
Ominibus faustis festisque precatibus. ut tunc
Promissos Fatò sperans (a) GERMANIA Honores
(b) *I, remagna*, inquit, (c) *jam regna*; Nomine (d) *Joseph*
Omnia fausta latent; cum Fortis Magnanimusque
(e) *Ob Piuses!* Pietas, Cœlo gratissima Virtus,
Principibus Superos addixit semper amicos.
Nemo Deo similis magis est telluris in orbe,
Innocuo, Justo Clementeque Principe: quali
Me me in *Josepho* divinitus Astra beârant.

Rex

Rex ergo, ut primùm virtute adolevit, & annis,
Gignendis Natis, Regnorum Hæredibus olim,
Regali thalamo Confortem duxit : ab ipsa
Exceptò Natò solatus Regna Patrémque :
Mox tamen extinctò, constanti pectore vulnus,
(Heu nimis est vulnus natorum ex funere acerbum!)
Corde tulit! tangunt regalia corda dolores;
Quòque magis res chara venit, tantòque doletur
Res amissa magis. vultu tamen ille sereno,
Unici (ò Heroëm!) tulit hæc Fata aspera Nati.

Avulsa Imperio tunc restituenda putavit
Castra Urbèsque suo, quas Gallus ademerat olim
Patribus, Odrysiū contra pugnantibus Hostem.
Landavum valido primùm conamine JOSEPH
Oppugnat, Dux & Miles fortissimus unà :
Expugnat Victor. Sed vix sua gesta, situmque
Castrorum atque Urbis, confertaque prælia, Patri
Narrârat : cessêre iterum Landavia Gallis
Mœnia. Id impatiens, Rex induit arma, celérque
Landavum repetit; quem cœlitus ipsa poposcit
Ingenitis Fatis; [f] *Oh vi Spes!* Magnus JOSEPH
Accurrit, vires addit, Gallo eripit Urbem.
Insignis, justus Victor. Mens conscia recti,
Inter bellorum, tantum sibi vendicat, arma,
Ut nec Virtuti jam plus Victoria debet;
Victorem reducem gemina cingo Austria lauro.

Ad Superos tandem Leopoldo Patre vocato,
Romani sacra scepra capit feliciter Orbis

Quin-

Quinto anno sæcli, quinto quoque Mense, recentis,
Florifero Majo, quinta quoque luce, secundis
Votis & Fatis. Cæpti molimina Belli
Prosequitur Miles JOSEPHI signa secutus.
Cisalpina ejus superatur Gallia turmis :
Austriaco Galli ad Cassanum Marte fugantur ;
Herculeum Fretum sociis, & Barcinon, armis
Afferitur : quæ, obsessa dein, cum clade soluta
Gallorum enituit, sed multa laude suorum ;
Consimilique modo Taurinum perstitit. Illic
Urbes Bruxellæ, Mechlinum, Antverpia, Brugæ,
Lovanum, Gandavum, Ostenda & Teneramonda
Aldenardum, Athum, Meninum, fortibus armis
Captæ uno Belli processu annòque; sequente,
Italia pulsi Galli, fugère relicto
Aldenardensi Campo. tunc Partheno capta,
Italicæ splendor (nunc dicta Neapolis) oræ.
Sardinia in Lybico, vicina Minorcaque, ponto
Cessit : trajicitur Scaldis; solvuntur ab hoste
Bruxellæ; Brugæ & Gandavum grande, receptæ :
Orbem cum arce sua, proprium quibus Insula nomen
Indidit, armorum sociatis Gallia reddit
Viribus : atque, invita, Duciloca quina Sabauda.
Continud demum Tornaci mœnia & arces
Subduntur : Vallum prope Montes exuperatur :
Galli, ac Hispani Gallorum ad signa coacti,
Vincuntur trino certamine; vique receptæ
Sunt Duacum, Bethun, divi Fanumque Venantî :

B

Aria

Aria capta, penès Gallo spectante Gradivo:

Cuj toties vicisse hostem? tot fortia Castra
Subdere, tam parvo concessit tempore quondam
Aut valor, aut Fortuna Duci? nunc dicite (quæso)
Historici, sæcli memorantes acta vetusti,
Aut vos afflati divino numine Vates;
Dicite; cui toties Victoria læta triumphos
Conduxit? palmas, & lauros texuit olim
Absentijustoque Duci? Victoria certè
Divinæ comes est Virtutis. Cede Vetustas
Temporibus nostris. JOSEPHO militat alma
Pallas, Neptunus, Mavors & Jupiter ipse;
Hinc faciles lauri, palmæque, tropæa, coronæ:
Perpetuò est victor Miles, cui militat Æther.

Sed, ne divinos Mundus fortassis honores
Conferat ante obitum Regi (nisi certius ipsum
Invidit Cælum Terris, dignumque putarit
Sedibus ætherëis?) festina Morte vocatum
Sustulit è medio, Regno meliore locandum,
Immarcescibili potiturum deinde corona.
Morbillis pressus, juvenili ex fanguine morbo,
Atque obitûs signis conspectis, optimus ergo
Decubuit Cæsar: perque horas debiliore
Corpore, in ipso etiam constanter Mortis agone
Ingentes animos spirat: circumque gementes,
A quæis solandus fuerat, solatur amantes;
Desine flere, Parens augusta, augustaque Consors,
Altera adhuc Nato vivente & Rege, duabus

Altera

II. 2435.

205-2006

UNGARIA PULLATA

AD MANES IOSEPHI I. REGIS S VI
OCCINENS.



CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
PAULO S. R. IMP.
PRINCIPI ESTORÆ

De Galanta, perpetuo in Frakno, Aurei
Velleris Equiti, Regni Ungariæ Palatino, Judici
Cumanorum, Comitatum Soproniensis, Mossio-
niensis, Pest, Pilis, & Solt supremo perpetuoque Co-
miti, Sac. olim Cæs. ac Reg. Maj. Intimo Consiliario,
in præfato Regno Ungariæ Locumte-
nenti Regio, &c. &c.

Oblata

Ab EQ. PAU. RITTER.

CELSISSIME PRINCEPS.

ANtiquissimus Pannoniis, ac Illyriis (apud hos etiam
nū vigens) mos fuit: Defunctorū Manibus non modò
pulla & lacrymis, verum etiā publicis neniis, parētare.
Lugubres verè nostrū omnium pullas, lacrymas ac nē-
nias etiam Divus JOSEPHUS R. I. Rex & Dom. noster
Clementissimus, meretur, Pietate in Superos, benignitate
in Subditos, virtute in Adversarios, victoriis ex Bello cla-
rissimus. eoq; de Nobis vel plurimum; quòd sedatis Di-
vina ope, & illius quodā numine, turbulentis tempestati-
bus ac turbis publicis, Patria requiērit. Et quidem cer-
tatim in ejus laudes concurrunt fecunda Hominū inge-
nia, Urbes, Provinciae, Regna, etiam de mortuo benè me-
reri studiosa: quae & mihi, licet rudē effētāque Miner-
vā, tanto Monarchae parentandi stimulū addiderunt.
Inscripserā, augustis Manibus Epitaphiū, obiter vulga-
tū, quod à plurimis desideratū, novae Neniae sociatū, &
sub Ungariae pullatae nomine recusum, Tuae Celsitudini
tā devotè quā debite offero; Ut, Qui Defuncto, in Regni
solium evehēdo, Coronā praetulisti, Regnū devovisti, Pro-
rex jam in A. XXXI. & Locum tenens Regius, de Ipso, Pa-
tre Avoq; optimè meritis, Ejus quoq; memoriam serae
posteritati recolendā comendes. Suscipe igitur Pullatam
hanc Ungariam, Exarche Celsissime, animo, quo bonos
omnes respicere soles benignissimo: eamq; CAROLI III.
sublimatione, nova festiuitate brevè solaturus, diu feli-
cissimè que gubernes, meque perpetuū Tui Cultorē amare
non desiturus, Vale.

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADEMIA
KÖNYVTÁRA

UN-

EPITAPHIUM.

- Lege Viator, & luge;
HaC LapiDea MoLe obrVtVs est
- (a) JOSEPHUS ROMANORUM IMPERATOR,
Rex Ungariae,
Anno Domini VII. supra M. DC. LXXX. Die IX. Decembr.
Prospera aDCLaMatlone saLVtatVs;
Leopoldi Primi,
Ex Eleonora Magdalena Theresia
Principe Palatino-Neoburgica,
Tertia Consorte
Fatis secundis, Filius primogenitus;
Nulli Principum secundus, omnium primus;
Successor Patris, Avorum Aemulator;
Imperium nascendo meruit, Fortunae nihil debitus.
Imperator potestate, Virtute Victor,
Clementia Augustus,
Indulgentia Pater, aetate Filius,
Pietate utrumque superans.
Cui tanta fuit benefaciendi vis,
Ut Ejus Indulgentiam Necessitas aemularetur.
Verè Pius, Fortis, Fortunatus,
Semper Augustus;
Ut
- (b) EI AMORUM, HONORUM PROSPERITAS
Fatis decerneretur, comprecaretur Votis,
Factis exequeretur.
Scilicet
- (c) PROPRIUS EST HEROUM ANIMO AMOR.
Imperia utpote Amore augentur, servantur Metu.
Orbem Armis opplevit, Victoriis ornavit.
Novit Germania erecta,
Gallia proffigata, vindicata Hispania, Belgium recuperatum,
Italia liberata, pacata Ungaria, Austria exaltata.
Ut,
Cum neque Hercules contra duos,

Hic

Ari
Sul
A
H
A
E
C
A
I

Hic Heros contra omnes.

Sed

FatorVM neCesitate aDaCtVs

Postquam

Annos V. Menses XI. Dies XVII.

Felicitate imperasset,

Die XVII. Mensis Aprilis,

Anno XI. supra XVII. à Christo nato sæculum

Luce, D. Rudolpho Primo Roman. Imperatori,

Primo Comitum Hapsburgorum in Austria Dominatori, festa,

Ultimum Diem obiit, ad Divos abiit!

Mortis horrorem (raro Mortalium exemplo) non horruit,

Immortalis Vitæ honorem assequuturus:

Forti Animò & Fatis fatus;

(d) PARO MORI HOMO: UT SUPERNIS AMER.

(e) MORIAR HOMO; PARS SUPERUM NITEO.

(f) O PROSPERA HEROUM MORS IN VITAM!

Mors ad Immortalitatem janua est,

Virtus Virum à Morte vindicat.

Ast utinam diuturnior Hominibus Princeps imperasset,

Quàm maturior Deorum Consortium adiisset!

Paucis vixit annis æternis Annalibus dignus Imperator,

In ore Hominum, in monumentorum memoria æternaturus,

Annum necdum explevit XXXIII.

DVM natVræ ConCesit,

CAROLO Hispaniæ Tertio, Ungariæ item Tertio,

Bis Tertio Imperii,

Præfagiens,

POLLUCEM & CASTOREM dic, (g) Leda Magna genitos.

Ita DoLor, Maror, LVCtVS

Constante gaVDio CoMpensentVr.

DEO Animam reddidit,

Regnis dolorem, Fratri Regna, Interregnum Matri reliquit,

Disce Viator;

Morti Natura inditum esse;

nVLLI parCenDVM;

Nec ad Immortalitatem, nisi per Mortem, aditum patere.



NB. (a) Programma. (b)(c)(d)(e)(f) Anagrammata. (g) Anagr. Magdalenæ.

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA
RK 294/1962